

ORDINIS IVRIDICI DECANVS
IOANNES STEPHANVS PÜTTER

I. V. D. REGI A CONSILIIS IVSTITIAE INTIMIS ET PROFESSOR
 IVRIS PVBLICI ORDINARIVS

VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM

IOANNIS MAVRITII HENRICI GERICKE
 HAMBVRGENSIS,

IOANNIS ARNOLDI ET GVILIELMI
 A M S I N C K
 HAMBVRGENSIVM,

IOANNIS SCHVLTE
 HAMBVRGENSIS,

CHRISTIANI ABRAHAMI HEINEKEN

BREMA - SAXONIS

SOLLENNIA IN AVGURALIA INDICIT.

PRAEMISSA COMMENTATIONIS


*de instauratione imperii Romani sub Carolo M. et Ottonibus
 facta eiusque effectibus*

P A R T E S E X T A -

*de erronea, quae a secunda illa instauratione inualuit, opinione:
 imperium Romanum esse quartam monarchiam a Deo ordina-
 tam, eamque Dei iussu ac nomine ad Germanos translatam.*

GOETTINGAE

EX OFFICINA F. A. ROSENBUSCH MDCCCLXXIV.



§. I.

Erroneae opinionis, Germaniae regnum imperium Romanum esse, primam, nisi fallor, originem in eo detexi, quod putauerint, qui in hunc errorem inciderunt, regnum, cuius imperans solo Romanorum imperatoris titulo vteretur, non aliud quam Romanum imperium esse posse. Sed et complura mox accesserunt argumenta, quibus eadem opinio suffulciri videbatur, aequa erronea quidem, sed ita comparata, ut miro quodam concentu cohaerere videretur integrum systema, quod tantum non omnes medii aei scriptores iam de hac re sibi formare adnisi sunt.

Errori ex titulo imperatoris Rom. repetito mox plura accesserunt fulcra perinde errore;

§. II.

Primum nempe communis omnium in medio aeuo eruditorum opinio erat, *quatuor a Deo ordinatas esse monarchias*, quarum imagines propheticas in ipsa scriptura sacra latere existimabant, earumque quartam esse

veluti i) quos imperium Romanum sit quarta monarchia ad finem mundi usque perdurata;

4 DE OPINIONE, IMP. R. ESSE QUARTAM MONARCH.

Romanum imperium ad finem vsque mundi perduratum. Quam proinde quartam monarchiam a Graecis olim ad Francos, seu nunc de nouo a Romanis ad Germanos translatam fuisse opinabantur. Quumque post se-
dem regni a Constantino Roma Byzantium translatam Constantinopolis haecce noua Roma diceretur, pristina-
que Roma sedes regni esse desineret; eadem ratione nunc Germaniam Romanum esse imperium, et qui non Ro-
mae quidem amplius, sed in ipsa Germania residerent,
pristinorum tamen Caesarum successores esse, nemo du-
bitabat.

* I. *Quatuor nempe monarchias repetebant ex prophetia DANIELIS de quatuor regnis*, quorum postremum reliqua contribu-
rum sit (a), et de *quatuor bestis* (b), quas totidem monarchias Assyriorum, Persarum, Graecorum et Romanorum significare pu-
tabant (c).

(a) DANIEL, cap. 2. vers. 31-45.

(b) DANIEL, cap. 7. vers. 3. sq.

(c) Instar omnium allegasse sufficerit, quae commentatur hac de re
insignis medii aevi scriptor Petrus de ANDLO de imperio Romano
lib. 1. cap. 4. p. 15.: “In his nempe quatuor, quas praelibauimus,
,,monarchias a dilunii temporibus mundi dominatus cœcurit, in fi-
,,nemque temporum curret, nec aliqua deinceps monarchia post Ro-
,,manam futura est. Quas vtique monarchias praefigurabat statua
,,illa, quam (vt apud DANIELEM est cap. 2.) Nabuchodonosor rex
,,Babylonis somnitans vidit in visione; vt Hieronymi et Augustini sen-
,,tentia est, qui eandem visionem ad has mundi monarchias sua expo-
,,sitione adaptarunt, volentes per aureum eiusdem statuae caput, Af-
,,srorum intelligere regnum; per argentea vero brachia et pectus,
,,Medorum atque Persarum; atque pro ventre et femoribus aereis,
,,Graecorum; pro tibiosis vero ferreis, et pedibus partim ferreis par-
,,tim fictilibus, Romanum et ultimum regnum designantes.”

* II. Accessit praeterea *imago duarum aquilarum* apud EZE-
CHI ELEM (d), quam iam FRIEDERICI II. imperatoris aeuo
PETERVS

PETRVS DE VINEIS intellexit de aquila Romani imperii symbolo (*e*), cuiusque similis adlocutio sit in *sigillis*, quibus vñ sunt SIGISMUNDVS et FRIEDERICVS III. imperatores (*f*).

(*d*) EZECHIEL. cap. 17. verf. 3. sq.

(*e*) PETRVS DE VINEIS lib. 3. epist. 44. (edit. Basil. 1740. 8.
tom. I.) p. 458: "Hic (imperator Friedericus II.) est, de quo Eze-
chielis verba proclamat: *Aquila grandior magnarum alarum,
longo membrorum ductu, plena plumis et varietate multiplici.*"

(*f*) *Aquila* nempe in auersa sigilli parte in *sigillis* SIGISMUNDI
et FRIEDERICI III. reperitur cum hisce versiculis:

*Aquila Ezechielis
Sponsae missa est de coelis,
volat ipsa sine meta,
quo nec ales nec prophetas
euolauit altius.*

Car. DU FRESNE diss. de inferioris aeu*ni* numismatis num. II. p. 10.
Io. Mich. HEINECCIUS de *sigillis* part. I. cap. 9. §. 68, p. 109.

* III. Quae omnia eti oppido erronea sint (*g*), tanto magis ta-
men firmarunt errorem, Germaniam esse Romanorum imperium,
quanto minus aut dubitationi subiacere aut historica critique inda-
gatione indigere videbantur, quae diuinis, vt putabant, oraculis
fussulta erant.

(*g*) Hodie sane nemo non facile adstipulabitur Henrico VAGEDES,
qui in diss. de *ludibriis aulae Romanae in translatione imperii Roma-*
ni, Rint. 1678. in opusc. (1703.) p. 170. ad dicta illa DANIELIS:
"Quae hic adferuntur, inquit, tanti non aestimo, vt a sententia dis-
cedam, quin illa hanc in rem trahi non posse, liquidissime possim
ostendere. Lagidarum, Seleucidarumque imperia, et quatuor illa
regna praecipua, quae post Alexandri M. obitum ex ipsius quasi ci-
neribus exorta sunt, hic intelligi putem," &c.

§. III.

Si quid autem promouere potuit haecce ratiocinia,
in primis, nisi omnia me fallunt, id querendum est in

A 3

opinio-

et 2) quod Dei
iussu et nomi-
ne transla-
tum sit impe-
rium Rom. ad
Car. M.

6 DE OPINIONE, IMP. R. ESSE QUARTAM MONARCH.

opinionibus, quas pontifices Romani nutrire hominibus que insinuare studuerunt, quasi *Dei iussu et nomine haec translatio imperii in persona CAROLI M. a Graecis ad Francos facta fuisset (a)*. Quae erronea rei representa^{tio} quantumuis longe abesset a vera rerum gestarum serie, aliasque intolerabiles produceret consequentias libertati atque independentiae regni Germanici plane pernicio^sas (b), tamen vix credibile est, quanta fiducia huic sententiae subscripterint ad vnum omnes fere, qui ex medio aevo supersunt, rerum Germanicarum scriptores (c), ne dicam quanta arrogantia etiam nouiores haec adserita propugnant aulae Romanae adseclae (d).

(a) Tale iam fuit ratiocinium HADRIANI IV. pontificis († 1159.), in litteris ad archiepiscopos Germaniae priuates scriptis: "Romanum, inquit, "imperium a Graecis translatum est "ad Alemannos, vt rex Teutonicorum non ante, quam ab apostolico coronaretur, imperator vocaretur. Ante consecratio^{nem} rex, post, imperator. Vnde igitur habet imperium, nisi a nobis? ex electione principum suorum habet nomen regis, ex consecratione nostra habet nomen imperatoris, et Augusti et Caesaris. Ergo per nos imperat. Recolite antiqua. Zacharias promouit Carolum, fecit ei nomen grande, vt esset imperator: et vt posthac perpetuo rex Teutonicus esset imperator, et aduocatus sedis apostolicae, vt Romano episcopo Apulia per eum pacata esset subiecta, quae nostra cum vrbe Romana est, non imperatoris Romae nostra fedes est. Imperatoris est Aquis in Arduenna, quae est Sylva Galliae. Imperator quod habet, totum habet a nobis. Sicut Zacharias, translatum imperium a Graecis ad Teutonicos, ita nos possimus ab Alemannis transferre ad Graecos. Ecce in potestate nostra est, vt demus illud, cui volumus. Propterea constituti a deo, super gentes et regna, vt destruamus, et vellamus, et aedificemus,

DEI IVSSV AD GERMANOS TRANSLATAM. 7

„cemos, et plantemus.” &c. Vid. IO. AVENTINI annalium Boiorum lib. 6. cap. 5. num. 10. p. 607.

(b) *Consequentias translationis imperii a pontifice factae mirum in modum in primis exposuit papa IOHANNES XXII. in bulla data Auenione anno 1321. vbi: “Posteaquam, inquit, a decessoribus nostris, rex Romana a Graecis ad Germanos translata, Carolus magno in fidem atque tutelam commissa est, summus ille honor beneficium pontificis max. esse solet. Decretum si quidem est, vt cum Germani principes regem iussissent, id demum ratum esset, si Rom. Pontifex, viiuersi orbis christiani pater, atque princeps duclor fieret, nec ante cuiquam comitiis Caesareis, suffragiis principum designato regi, neque admistrandi, neque regii tituli usurpandi ius est, quam primarius sacerdos, Dei optimi legatus, suo nomine faueat et aspiret. Praeterea summa potestas, maximum imperium, vbi orbum capite fuerit, penes Max. pontificem, cuius beneficium illud est, existit, totidem vbi septem suffragatores comitiis Caesareis discordes fuerint, neuter rex est. Episcopus Romanus sicut communis omnium mortalium parens; fasces Romanos ob dispersionem destitutos, reipublicam derelictam, suo arbitrio temperat. Quenadmodum animus imperare, corpus illi, cuius beneficio viuit, seruire debet; ita optime consultum esse rebus christianis nemo ambigit, vbi fragilia aeternis, profana sacris, corporalia spiritualibus subdita sunt atque obtemperant. Quod tum fiet, quando pont. Max. dignitatem utramque suo arbitrari moderatur. Ecclesia dominatur, eius lege, atque imperio omnis potestas redigitur. Et imperator religione sacramenti ei, qui terris praesidendo vicem coelestis imperatoris perfungitur, addictus est.” AVENTINVS l. c. lib. 7. cap. 16. num. 8. p. 724.*

(c) Ex instituto in primis rem tractat Petrus de ANDLO de imp. Rom. lib. 1. cap. 13. p. 51., vbi longe lateque prius enarrata rerum gestarum serie, tandem, “tunc, inquit, Romana ecclesia
,,matu-

8 DE OPINIONE, IMP. R. ESSE QUARTAM MONARCH.

„matura et diligentia præhabita deliberatione attendens Graeco-
 „rum vires pene esse confractas, ad reique publicae defensio-
 „nem tardos minusque utiles, Germanos vero, quorum et tem-
 „pore celebre nomen erat, esse viros fide firmissimos, vnu-
 „mis promtos, robustos viribus, in hostes alacres, belloque et ar-
 „mis potentissimos, atque ad christianum regendum imperium
 „aptissimos; præcipue quoque volens et ipsa ecclesia vicem Ca-
 „rolo tantorum compensare meritorum: Vnde Romanum impe-
 „rium Graecis abslutit, et ablato patricii nomine in sua persona,
 „in nobilissimos id transluit Germanos.” — Nec dissimulat
 „quidem idem ille auctor, sua quoque sententia non tam huma-
 „na quam diuina dispositione sic translatum esse imperium. At-
 „tamen aliam plane singularem eamque proficuum Germaniae
 „nostræ inde ducit consequentiam: “Manifestum itaque est, in-
 „quiens, non solum humana dispositione factum, quod Roma-
 „num imperium in fine seculorum transferri deberet in Germa-
 „nos. Vnde non solum imperiale, sed et diuinam maiesta-
 „tem videntur offendere, qui iura et terras imperii sibi usur-
 „pare, et quantum in eis est, sacrum imperium opprimere co-
 „nantur.” ANDLO l.c. p. 56.

(d) In antesignanis hic nominari meretur cardinalis C A E-
 SAR BARONIVS, qui in annalibus ecclesiasticis ad a. 800. ex
 instituto et amplissima deductione contendere studet: “id, quod
 „per Leonem pontificem factum, vt translatum ante occidentale
 „imperium in orientem revocatum fuerit in occidentem et semi-
 „per sterterit et hactenus perseueret, nonnisi diuino consilio id
 „factum esse vel fieri potuisse; — sed et totum id esse opus Dei,
 „vtque ita fieret per Romanum pontificem totius Christianae reli-
 „gionis antistitem, aequo diuinam dispositionem fuisse; — im-
 „mo id ipsum ex insita ipse Romano pontifici concessa diuinitus
 „auctoritate fuisse impletum; — hanc enim potestate esse in
 „ecclesia Dei et in ipso pontifice primario residere, posseque
 „ipsum, si causa postulet, apostolica plenissima potestate infe-
 „stum ecclesiae regem sive imperatorem deponere inque locum
 „ipius iustum et pium sufficere.” — Eheu! iam satis est.

§. IV.



§. IV.

Sic itaque egregie cohaerere omnia videbantur; non forte nempe casum id tulisse, vt solo Romanorum imperatoris titulo vteretur quilibet Germaniae rex ad hunc honorem nunc electus, sed eamdem hanc esse quartam illam monarchiam a Deo ordinatam, ipsius Dei iussu et auctoritate a Graecis ad Francos et Germanos a Carolo M. et Ottone M. inde translatam, eamque abhinc ad postremum usque mundi finem perduraturam. Quorum omnium si vel quidquam quis in dubium vocare voluisse, summam vix haereseos et impietatis notam effugere potuissest (*a*). Vnde nec mirandum, tam altas erroneas opiniones egisse radices, vt nihil non iis superstrui posset, quamdiu ipsis istis radicibus haud admoueretur securis. Ego vero non tam in animum induxi refellere hos errores, quos ipsa rerum gestarum series iam satis resutat, quam potius inuestigare errorum illorum fontes aliosque nouos ex iisdem prognatos non minus erroneous foetus.

*Vnde integrum enatum
systema, ipsa religione sus-
tulitum.*

(*a*) "Neget si quis ista, (inquit BARONIVS l.c. ad a. 800.
in dictis pergens,) "plane impius et infidelis ac rerum ecclesiastica-
rum penitus rudis esse conuincitur."

Sed abrumpi oportet filum, vt locus fiat adnunciandis quinque dignissimorum candidatorum honoribus. Quorum ante omnia proferam vitae studiorumque narrationes, quas ipsi exhibuerunt. Primus nempe

B

VIR

VIR PRAENOBILISSIMVS
IOANNES MAVRITIVS HENRICVS GERICKE
HAMBVRGENSIS

Ego Iohannes Mauritus Henricus GERICKE, inquit, natus sum Hamburgi S. R. I. libera urbe et amplissimo Germaniae borealis emporio, anno p. Ch. n. 1748. d. 9. Octobr. Patrem veneror Ioannem Petrum GERICKE Berolinensem, Verbi Diuini Ministrum fidelissimum, ecclesiaeque Michaelitanae Hamburgi Archidiaconum vigilissimum dexterimumque, Matrem vero Joannam Catharinam B. Mauriti Brüning Altenauiae, potentissimo Danorum Regi olim commerciorum a consiliis, filiam; parentes sane solertia, prudentia, pietate, dexteritate, atque vigilantia plurimos superantes, optimis innendos. A primis incunablis inde, et quum puerilis annos tereret aetas, nihil prius, antiquius nihil putarunt, quam ut, in Evangelico Lutheranae ecclesiae gremio natus, doctrinis fidei, et quae ad cultum diuinum, cumque non sicutum, faciunt, institutis imbuerer, sicque educarer, ut, quae in bonum honestumque virum cadunt, a me aliena hand forent. Dein, quum vires annique sinerent tolerare labores, hoc curae cordique ipsis fuit, ut liberarum bonarumque artium scientiis erudirer, quapropter prudentes non solum, solertesque et vita moribus atque eruditione conspicuos praefecerunt mihi praceptores, sed et ardorem docentis pariter ac discentis ut subleuarent, firmarent, augerent, omnem adhibuerunt diligentiam. Sed absit panegyrica scribere verba, quis namque parentum, quos imo ex pectore diligit, atque veneratur, facta operasque recensabit, nec simul elogis ornabit? Sufficiat id addere, quae in me virtutis et eruditiois inuenio, parentum vnice vitae, moribus, curae atque solertiae me debere.

Priuatis institutis superatis anno 1762. post diu Michaelis festum Scholam Hamburgensem, florissantem Ioanneum, eiusque primam statim classem adire licuit, ibique IV. per annos et dimidium commotus disciplina atque institutionibus Iohannis Samuelis MÜLLERI Rectoris quondam meritissimi, et post fata adhuc venerandi nec non Iohannis

Ioannis Martini MÜLLERI eo tempore Conrectoris¹, iam vero Recltoris dignissimi, doctissimi gauisus sum. Anno dein 1767. scholam dereliqui, atque Gymnasii Hainburgensis illustris ciuibus Rectore BüSCHIO rite adscriptus sum. Superbiebat tunc Reipublicae Lycaeum viris magni nominis WOLFIO, REIMARO, BüSCHIO, WUNDERLICHIO I. V. D., NOLTINGIO Ph. D. atque SCHÜTZIO S. S. Th. D. quos Philosophicas et theoreticas et practicas scientias, Mathefin, Iuridica elementa, atque Romanas antiquitates, aliasque litteras docentes magna cum utilitate et voluptate audiui. Tandem a 1770. patriis penatibus et Gymnasio illustri valedicendum erat, et Goettingam petui, Academiam plurimis praecedente, ac tantorum virorum frequentia iure superbiente. Ibi aduena ab Ill. Ge. Lud. BOEHMERO Prorectore tum temporis Magnifico in numerum ciuium academie rite legitimeque relatus sum, cuius etiam scholis ad Instituta, Digesta, Ius Canonicum, et Feudale, interfui. Ill. PÜTTERM auditi historiam S. R. Imperii, ius publicum Imperii, ius priuatum Principum, atque praxia iuridicam, tradente. Illustris MEISTER Institutio-nes et Iuris criminalis elementa me docuit. Illustris BECKMANN Senior Theoriam processus, Struuique iurisprudentiam forensem R. G. mihi explicuit. Porro Generosissimum de SELCHOW in Historia iuris, iure Germanico et publico Imperii, Illustrem vero CLAPRO-THVM in actionum doctrina duces habui optimos, fidelissimosque, de-nique excellentissimum SPANGENBERG Antiquitates Romano-iuri-dicas explicantem frequentauit, inque ipsius collegio examinatorio interfui auditor atque respondens. Sed et iuridicos egredi necesse erat fines, quare Excell. WRISBERGI in medicinam forensem, Ill. GATTERERI in historiam vniuersalem atque Diplomaticam, Excell. FEDERI in Logicam, Metaphysicasque scientias audiui praelectiones. Quae B. ACHENWALL pertractauit acta publica huius proxime elapsi seculi, praeterire silentio nefas foret, cuius et auspiciis scientiae Gentium Europearum, quam Statisticam vocant, limina transgressus sum quidem, sed ob grauissimum, qui ex pulmonibus et hypochondriis cruciabat corpus, morbum, quin totum fere per se mestre hemale 1771. omnibus collegiis deesse iuberer, imino sequens aestiuum, ut ad sanum corpus redirem, Georgiam Augustam linquens ad patrias



me oras conferrem, vterius progredi nefas fuit, praeprimitis quum
reuersus A C H E N W A L L I U M inter coelites iam receptum, ibi non
inuenirem. Redux a. 1772 ad ferias autumnales secunda mox, mox
aduersa valetudine fruitus sum, attamen tanta et eum morbum, quem
laudaui iamiam, et illum, qui prima hyeme me fere peflunderisset
peripneumoniae morbus, nisi opera studiisque B. S C H R O E D E R I,
Atchiatri celeberrimi salutatus essem, impedimenta arcendo, id con-
sequi adnuit summum Nunen, vt ad festum Paschale anni 1774. omni-
bus academicis studiis finem imponere possem, eosque, quos tribuit
iurisprudentia honores inhiare. Iuminente quapropter studiorum me-
ta, vt ad examen solemne admitterer incluto ab ICtorum ordine rite
ac decenter petii, quo superato aditus ad honores iuridicos decre-
tus mihi est ac patefactus.

Alter

VIR PRAENOBILISSIMVS

IOANNES ARNOLDVS AMSINCK

H A M B U R G E N S I S

Natus, inquit, Hamburgi d. XIV Jul. A. R. S. c1510cc1, patrem vene-
ror Paulum A M S I N C K, virum multis in patriam meritis con-
spicuum, matrem Annam Mariam, e gente L V T T E R L O H, in quo
viroque adhuc superelite, diuinae benignitatis vestigia grata mente
agnolco. A prima inde aetate, parentum optimorum princeps cura-
fuit, vt talibus traderer praceptoribus, quorum in me erudiendo ad-
hibitam diligentiam nunquam satis laudare possum. Hi quidem fun-
damenta posuerunt, quibus postea tum in prima Lycei classe, cum in
in Gymnasio patrio superstruere conatus sum, ibi de nouo praestan-
tissimorum doctorum, vtriusque scil. M Ü L L E R I, Rectoris quandam,
atque Correctoris, nec non Virorum Excell., B Ü S C H I I, W V N-
D E R L I C H I I, N O E L T I N G I I, S C H Ü T Z I I, ac P I T I S C I, opera
vhus. Ita praeparatus, Mense Apr. A. c1510cc1xxi, academiam
Lipsiensem petii, Viro Magni. atque Exp. P O H L I O academicos
fasces

fasces tenente: ibique in Logicis, Exp. PLATTNERI, in Metaphysicis Excell. SEYDLITZII, in Mathesi pura clar. ZWANZIGERI, in Historia Iuris Ill. SCHOTTII, in Iure Nat. et Institutionum Consult. EINERTI, in Pandectaris Conf. SAMMETII, in Iure fidelium per ill. BAVERI, in Historia imperii Exc. WENCKII, in Iure Germanico clar. LEHMANNI, praelectionibus interfui, praeterea vero artem disputandi sub auspiciis Exc. ERNESTI jun., nec non laudati EINERTI exercui. Elapsis ita tribus semestribus, A. cIcI cCLXXII, circa medium mensem Octobrem in aliam hanc Georgiam Augustam me contuli, vbi Ill. PÜTTERVS, tunc temporis Magnificus academiac Proreector, inter ciues academicos perquam humaniter me recepit. Hic, quod reliquum erat vitae academicae tempus, quam utilissime consumere cupidus, in Iure Pandectarum ac Canonico Ill. BOEHMERI; in Historia Imperii, Iure Publico, nec non summi-
 rum Imp. Tribunalium processu Ill. PÜTTERI; in Iure Criminali, Ill. MEISTERI; in doctrina de Actionibus Iur. Rom. Ill. BEGMANNI sen.; in I. Germ. gen. DE SELCHOW; in Medicina et Anatomia, ad usum eorum, qui artis medicae studium hand profitentur, applicata, Exp. WRISBERGI; denique in primis Politices initii Excell. FEDERI lectiones continuo studio frequentavi: praxi iuridicae, tam iudiciaiae quam extra judiciali ductu Ill. PÜTTERI operam dedi; praeterea vero tam Linguam Anglicam, sub Excell: DIEZII auspiciis, quam Gallicam, faciem preferente V. Clar., BERTIN, Lect. Linguae Gall., colui. Quibus similibusne laboribus ac studiis, per triennium et quod excurrit, occupatus, postea Illustrum ICtorum ordinem in hac academia debitius adi precibus, ut facultatem honores in utroque iure capessendi benevoli mihi concederet, quam, ne indigno contulisse videatur, praecipuum semper atque perpetuum erit studium.

Tertius, prioris frater,

VIR PRAENOBILISSIMVS

G V I L I E L M V S A M S I N C K,

HAMBVRGENSIS,

Natus Hamburgi a. MDCCLII. d. V. Ian. Patrem, inquit, veneror optimum, Paulum A M S I N C K , Virum de patria longe meritissimum, et Matrem, Annam Mariam e Gente L V T T E R L O H , virtutis atque pietatis exemplum dignissimum, qui parentes dilectissimi consiliis vnitis a prima infantia in religionis atque scientiarum principiis me imbuvi indefessa sollertia curarunt. E Scholis priuatis ad publicas transgressus in prima Ioannei Hamburgensis classe Virorum meritissimorum, beati I. S. M Ü L L E R I , quondam Rectoris. A. I. M. M Ü L L E R I tunc temporis Conrectoris doctissima institutione fructus sun. Quadriennio vero praeterlapso, celeberrimorum et doctissimorum Gymnasii doctorum, BÜSCHI, W V N D E R L I C H I I , S C H Ü T Z I I , N O E L T I N G I atque P I T I S C I e doctrina per biennium adhuc discere tam felici esse mihi contigit; in quo temporis spatio priuatissimis quoque in religione et linguis studiis operam dedi. Ita denique ad studia academicia praeparatus, petii Lipsiam, a. MDCCLXXI. et a clarissimis eius doctribus discere sollicitus fui. Interfui doctissimis praelectionibus Excell. et Cons. S C H O T T I I ad Historiam Iuris, Cons. E I N E R T I ad Institutiones atque Ius Naturae, Cons. S A M M E T I I ad Digesta, Illustr. B A V E R I ad Ius Feudale, Clariss. L E H M A N N I ad Ius Germanicum, Summe rev. E R N E S T I ad Historiam vniuersalem, Excell. S E I D L I Z I I ad Logicam atque Metaphysicam, Excell. W E N C K I I ad Historiam Imperii Rom. Germ. Clarif. Z W A N Z I G E R I ad Mathem. puram. Ceterum artem disputandi ducibus Excell. R E I T Z I O et Cons. E I N E R T O colui: neque linguarum studium neglexi. Utamen triennium mihi definitum academicum omni, quo possem, modo in usum studiorum conuerterem, illud inter florentissimas huius aeuii academias Lipsiensem nempe atque Goettingensem diuidere consilium cepi; eaque de causa a. MDCCLXXII. ad Festum Michaelis almae nostrae

nostrae Georgiae Augustae ciuis factus; quod mihi licuit Ill. BOEH.
MERI institutione in Digestis et Iure Canonico, Ill. PÜTTERI in
Historia Imp. Rom. Germ., iure publico, processu Imperii et practi-
cis iuridicis exercitiis, Illust. MEISTERI in iure criminali, Illustr.
BECKMANNI sen. in doctrina actionum et theoria processus, Gene-
ross. de SELCHOW in Iure Germ. et Consultiss. HOFACKERI in
examinatorio ad digesta, nec non in exercitiis disputatoriis iam beati
senis praeitura tamen morte nobis erupti, AVRERI, frui, maxi-
me mihi gratulor. Ceterum summa quoque cum voluptate in Phy-
sics ab Excell. ERXLEBENIO, in Historia nostri aevi nouissima ab
Excell. MVRAYO, in medicina legali, anatomicis et physiologicis
ab Excell. et Experient. WRISBERGIO, in politices principiis ab
Excell. FEDERO, et denique in lingua anglica ab Excell. DIEZIO
instructus sum. Quos Viros omnes celeberrimos laudibus efferre di-
gnis, iisque pro omnibus in me collatis beneficiis gratias per soluere me-
ritas, me nimis imbecillum sentio.

Quartus

VIR PRAENOBISSIMVS IOANNES SCHVLT E

HAMBVRGENSIS

Natus sum, inquit, Hamburgi a. 1751 d. 27. Martii. Patre gandeo AL-
BERTO SCHVLT E I. V. D. Patriae florentissimae Senatore in-
eritissimo, matre MARIA MARGARETHA, e gente splendidissima
LVISIANA quam iam a. 1766 nimis praeitura morte iuinda eripu-
erunt fata. Patri optimo, quem adhuc superstitem veneror quemque
DEus T. O. M. ad seros vsque annos saluum et incoludem esse iu-
beat, hoc maxime curae cordique fuit, vt non tantum fidelissimis
praeceptoribus, inter quos plurimum me debere Praeclarissimo I. C.
MICHAELIS, Philosophiae Doctori, ingenuo profiteor, me traderet,
sed et ipse, educationis meae curam in se suscipiens, optimis in omni
studiorum genere me instrueret institutionibus, quae paterna in me
merita

merita nunquam non pia grataque agnoscam mente. Positis ita studiorum fundamentis iam a. 1767 Gymnasium adii patrium, ibique tam in Philosophicis, quam in Iuridicis, Scholas frequentaui Excellentissimorum b. REIMARI, BÜSCHII, WUNDERLICHII, NOLTINGII, SCHÜTZII. Peracto ita triennio a. 1770 petii Lipsiam, in que ciuium numerum me recepit Ill. BELIVS. Excell. GARBIUS philosophiam, Excell. CLODIVS sili cultioris latini praecepta, Excell. REITZIVS et Consult. EINERTVS arte me docuerunt disputandi. Ill. BÖHMIVM tum Imperii Romano-Germanici, tum caeterorum Europae Regnoruin historiam, Excell. SCHOTTIVM Encyclopaediam Iuridicam, Ius Naturae, Institutiones, atque Ius Germanicum, Consult. SAMMETIVM Ius Digestorum et Excell. FRANKIVM Ius Publicum Imperii et Feudale tradentes audiui. Peracto Lipsiae prope modum triennio, in hanc celeberrimam me contuli Musarum fedein, Georgiam Augustam, fasces academicos tenente Ill. PÜTTERO. Se-
ctatus hic sum viros, quibus haec academia superbit, egregios, nomine ac fama celeberrimos. Scholis interfui disputationiis b. AYERI. Explanauerunt Ill. BÖHMERVS, Digesta atque Ius Canonicum; Ill. PÜTTERVS Ius Publicum atque processum Imperii, nec non Praxi iuridicam; Ill. MEISTERVS Ius Criminale, Ill. BECMANNVS senior, Processus Theoriam, Generos, denique ac ill. de SELCHOW Ius Germanicum. Collegiis dein interfui examineriis Consult. HOFACKERI, nunc Professoris Tübingeris meritissimi. Medicinam forensem atque anatomiā captui eorum accommodataī, qui Themidi nomen dederunt, tradidit Excell. ac Experient. WRISBERGIUS; scholas frequentaui Excell. ERXLEBENII physicas, Excell. FEDERI politicas. In lingua denique Anglica docta gauisus sum Excell. DIETZII institutione. Qua quidem ratione peractis studiis academicis ab Illustri in hac academia Iureconsultorum ordine ea, qua decet obseruantia, petii summos in utroque Iure honores.

Quintus

Quintus denique

VIR PRAENOBILISSIMVS

CHRISTIANVS ABRAHAMVS HEINECKEN

BREMA - SAXO.

Natus sum, inquit, BREMAE Inclita Sacri Romani Imperii Ciuitate libera, die X. Dec. anni CLOCCCLII. Patrem, PHILIP-
PVM ISAACVM HEINECKEN, Medicinae Doctorem, et Illustris Gymnasi quod Bremae floret, Professorem P. O. adhuc viuum
obsequiose veneror, nec vñquam, dum spiro, venerari desinam.
Mater vero, WOMMELIA, Viri, dum viueret, Excellentissimi
DETHMARIA RHEDEN, I. V. D. ac Legum Antecessoris in Illu-
stri Gymnasio Bremensi, filia natu minima, iam nono aetatis meae
anno, acerba morte mihi erecta fuit, cuius memoriam nunquam non
iusta pietat prosequar. Sed alia mihi est, quod laetor, dulcissima
mater, secundis nuptiis optimo parenti iuncta HENRIETTA BEN-
DELEBEN, Viri quondam Consultissimi HENRICI BENDELE-
BEN I. V. D. filia, cuius tenerimum erga me amorem laudibus eue-
here, vire meas superat.

Exoptatissimi hi parentes sedula cura solliciti fuerunt, vt a te-
nerrima inde aetate, tam religionis verae dogmatibus, quam reliquis
scientiis imbuerer. Imprimis maxima iis cura fuit, vt optimis praec-
ceptoribus domesticis instructus, omnia ea imbiberem, quae iuueni
funt elegantiae, solidioribusque scientiis fundamento; vsque ad eam
aetatem, qua primas Paedagogei Bremensis Classes visere licebat.

Finito tandem curriculo scholastico, anno MDCCLXIX Illustris
Gymnasi Academicci ciubus me adscriptit Vir B. M. summe reueren-
dus NICOLAVS NONNE, tunc temporis Magnificus Rector; ibi-
que Professorum eruditissimorum, et solidioris doctrinae laude claris-
simorum paelectionibus, maximo cum fructu interfui. Philosophiae
rationalis paecepta docuit Cel. IOH. NONNE: historiae litterariae
ambitus, nec non elegantias scriptorum veteris Latii, delineauit Clar.
CASSELIUS. In cognoscendis vero paecipuis Matheseos, tam pu-

C rae



rae quam applicatae partibus, publicis suis priuatisque preelectionibus, indefessa cura facem mihi praetulit optimus ipse PARENTS. Encyclopaediam iuris, nec non Leges naturales exposuit Excell. R V N G I V S. Historiam vniuersalem, historiam Legum, scriptorumque omnem Iurisprudentiam illustrantium, nec non Elementa totius legitimae scientiae, plus simplici vice percepit, preeente Excell. A H A S V E R O, cuius exercitii examinatiori pariter adesse mihi contigit. Antiquitates denique Romanas mihi enucleauit Vir Magnif. Ioh. OERLICHES, qui simul disputatoriam artem exercendi mihi copiam fecit.

Hisce scientiarum incunabilis tinctus, famaque Virorum illustrium qui GEORGIAM nostram AVGVSTAM ornant, excitatus, ex permisso carissimorum Parentium, peracto breui itinere, quod per celeberrimas Saxonie nostrae Vrbes suscepseram, patriis misis valedicens, in aliam hancce Musarum sedem me contuli anno MDCCCLXXI. Hic, Viro Magnifico Ioh. PHIL. MVRRAY, academicos fasces tunc temporis tenente, albo ciuium academicorum inscriptus, Doctoribus vti licuit, Viris summis, in Reipublicae literariae commoda natis, measque supra laudes euectis.

Philosophiae rationali operam dedi, duce Cel. FEDERO: physices dogmata mihi aperuit Exper. HOLLMANNVS. In historia vniuersali, historia nouorum inventorum, nec non explicatione rerum politicarum hodiernis temporibus gestarum, docens fuit Cel. SCHLÖZERVS; acroasis tandem Celeb. GATTERERI interfui, in interpretanda arte Diplomatica, et Exper. WRISBERGII, Medicinam forensem docentis. Quoad ipsam legitimam scientiam, Institutionum ac Pandectarum explicationem debeo Viris Excell. et Ill. MEISTERO atque BOEHMERO, ILLVM pariter Praeceptorem Iuris Criminalis; HVNC vero Feudalis atque Canonici, veneror. Historiam Iuris, vt et Iura domestica Germaniae delineauit Generofissimus et Excell. DE SELCHOW. Illustrum PÜTTERVM, in practicis exercitationibus, nec non S. R. Germanici Imperii historiam, Ius publicum, Ius priuatum principum, vt et ordinem causas in summis Imperii tribunalibus pertractandi, enarrantem audiui. Excell. BECKMANNVS, natu maior, doctrinam de appellationibus et theoriam processus exposuit.

Practi-

ORD
IOANNE

I. V. D. REGI A

VIRCO
IOANNIS

IOANNIS
IOA
CHRISTI

SOLL
de instauratione

*de erronēa, qua
imperium Rom
tam, eamque*

EX OFF

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimeters

IVS
VTTTER

T PROFESSOR

VM
GERICKE
ILIELMI

TE
INEKEN

CIT.

l. et Ottonibus

*iluit, opinione:
a Deo ordinā
s translatam.*

CLXXIV.